



## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. VI. Au pactum adjectum mutuo, ut res mutuata restituatur, eadem mensura & bonitate, etiam si pretium ejus creverit, sit ufurarium?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## §. VI.

*An pactum adjectum mutuo, ut res mutuata restituatur, in eadem mensura. Et bonitate, etiamsi pretium ejus creverit, sit usurarium?*

**Q**Ua in re certum est primò, si tempore dati mutui æquè dubium sit, an tempore solutionis pretium, seu valor rei mutuatae major aut minor sit futurus, licitum esse pactum tale, & nullam usuram continere, quia in tali casu æqualis est utriusque contrahentis conditio, tam quoad lucrum, quàm quoad periculum, per accidens & casu fortuito eveniens, quale pactum tamen licitum non esset, si augendi pretij moralis habeatur certitudo. Secundo certum est, licitum etiam esse tale pactum, si mutuans rem illam, quam hinc & nunc mutuam dat, in tempus illud servaturus fuisset, quo tempore majus illius pretium est, cum ex charitate, quàm mutuam hinc & nunc dat, non debeat suarum rerum pati damnum. Tertio certum videtur, si probabiliter prævideatur, rem hinc & nunc mutuò datam minus valituram tempore solutionis, quòd possit mutuans ad præcavendum sibi damnum pacisci cum mutuuario, sine usura, de restitutione faciendâ mutui, in ea qualitate v. g. in qua nunc accepit, ut viginti sibi scaphas frumenti v. g. reddat, cui hinc & nunc decem scaphas mutuas dedit, si tempore solutionis hujus faciendæ viginti scapharum pretium adæquent decem scapharum mutuò datarum, quia in tali casu non petitur aliud, quàm pretium æquale illi, quòd mutuò

dedit, ergo nihil supra sortem, et nullius usuræ periculum est (& contra Ætus hic potius innotinatus dicitur est, do, ut des: quàm mutui contractus modò ad tale pactum secum incertum non cogat mutuarium mutuaria. Quòd dicendum videtur, si tempore mutuò datae, nihil conventum sit, & scienda solutione mutui secundum mutui currentem, aut tempore solutionis futurum valorem, neque quòdquam de augendo, vel minuendo pretio præsumitur, rectè præsumi intentionem contrahentium fuisse, ut juxta conditionem mutui, res mutuata reddatur in eadem specie, mensurâ ac bonitate, si pretium creverit, si non creverit, prout mutuò data fuit, ut supponitur in *L. Vinum 22. ff. de rebus creditis*. Videtur de hac re Civilista, quòd forum pereternum, & quòd forum ecclesiasticum Theologi, cum nulla juris capitula de re hac agant.

## SECTIO III.

*De usuris, qua committuntur in venditione, & emptione, & an contractus censetur sit usurarius.*

## §. I.

*An sit usura rem pluris justo pretio vendere ob dilatam pretij solutionem, & vicissim rem minoris emere, quam valet, quia presentis pecunie emitur?*

**R**em pluris vendere, quàm valet, & quòd differatur solutio pretij, & con-